

vero extimatores sic confirmati et qui acceptaverint dictum
offitium vacare debeant per unum annum a quolibet offitio
comunis ab exitu sui offitii, et prestare debeant dicti extima-
tores et uterque ipsorum bonam et ydoneam securitatem co-
muni Tergesti, stipulanti nomine omnium quorum interesse 5
posset, de custodiendo et non expendendo denarios qui ad
manus eorum pervenerint occasione dicti offitii, et eorum
offitium exercere secundum formam sui capitularii infra
scripti.

Cap. XX. Rubrica de forma sacramenti extima- 10
torum et eorum notarii et de eorum officio.
R.ca.

Iurabunt extimatores comunis Tergesti et eorum notarius
sequimen potestatis iudicum vel rectorum consilium et cre-
dentiam. ¶ Et quandocunque fuerint requisiti ad extimationem 15
aliquam faciendam per comune vel aliam personam, quan-
citius poterint ire et eam facere bona fide¹⁾ et sine fraude, et
legaliter que debuerint extimare, et rectas recordationes dare
tam de rebus per eos extimatis quam de terminis positis et
prefixis in eisdem et de rebus eisdem presentatis ad extiman- 20
dum, et quam citius poterint diffinire que debuerint secundum
formam statutorum. ¶ Et omnes possessiones tam extrinsecas
quam intrinsecas ad extimariam designatas, exceptis domibus,
perticare cum pertica comunis curcum circa et extimare eas,
et eas perticas cum confinibus ipsarum possessionum et exti- 25
mationem scribi facere per notarium eorum predictum in
36 B quaterno ad hoc // deputato, et si extimaverint partem alicuius
possessionis, eam terminare cum terminis de lapidibus, ita
quod apar[e]ant, ante quam cridari et incantari fatiant tales
possessiones super scalis palatii comunis per preconem co- 30
munis, etiam sub pena quadraginta frx. pro quolibet extima-
tore et notario et vice qualibet contrafacta. ¶ Et non recipere
de aliqua possessione, que non vendetur vel assignabitur ad

¹⁾ Aggiunta sopra la riga in corsivo.